

ibi solum asserere, ad baptismum non esse necessariam confessionem peccatorum; sed hanc sufficienter impleri in hoc, quod baptizari quis petit, ut justificetur. Deinde potissimum intendit docere, etiam si quis non habeat peccatum, quod confiteri oporteat, nihilominus illi esse baptismum necessarium, ut a culpa ad gratiam transeat, et hoc modo ait, esse necessariam saltem illam poenitentiam, qua sortem humanæ generationis homo recognoscat; non tamen dicit hanc poenitentiam sufficere, si præter originale peccatum habeat homo propria peccata.

## SECTIO II.

Quænam poenitentiae dispositio ad effectum baptismi consequendum sufficiens, ac necessaria sit.

1. *Prima sententia.* — *Fundamentum.* — *Secunda sententia.* — In hac questione sermo solum est de homine adulto, qui habet mortalia peccata præter originale; nam de alio casu extraordinario hominis adulti accedentis ad baptismum cum sola originali culpa jam satis dictum est. Sunt ergo in hac re variae sententiae extreme contrariae. Prima affirmat requiri contritionem veram. Ita sentit Gabriel in 4, d. 4, quaest. 2, et dist. 14, quaest. 2, et Marsil., in 4, quaest. 2, in princ. Eos secutus est Petrus Soto, lect. 4 de Baptism., et lect. 7 de Poenit.; videtur favere D. Thom., supra, quaest. 68, art. 6, ad 3, dicens, baptismum requirere in adultis ad suum effectum actum virtutis poenitentiae; proprius autem actus virtutis poenitentiae est contritio; et in hac quaest. 69, art. 4, arg. 2, cum solutione, idem indicat; nam in argumento sumit, ad baptismum requiri poenitentiam, quæ est sufficiens causa remissionis actualium peccatorum, et in solutione hoc videtur admittere, addens, in illa poenitentia debere nunc includi votum baptismi; et infra, quaest. 86, art. 2, ad 4, dicit peccata non remitti in baptismo sine actuali mutatione voluntatis, quod fit per poenitentiam; loquitur autem proprie de poenitentiae virtute, cujus proprius actus est contritio. Simile habet in 4, d. 4, quaest. 2, art. 1, quaest. 1, et super ad Rom. 11, circa illa verba: *Sine poenitentia sunt dona Dei*; ubi dicit, in baptismo non requiri externam confessionem, sed internam contritionem. Fundamentum hujus sententiae sumi potest ex Concilio Trident., sess. 6, cap. 6 et 7. Ubi describens primam justificationem

adulti, quæ fit per baptismum, ponit omnes actus, quibus necesse est disponi eum, qui per baptismum justificandus est, et inter eos ponit amorem Dei et dolorem de peccatis; sed hi actus sunt, qui contritionem perficiunt; ergo juxta Concilii doctrinam contritio est necessaria dispositio ad justitiam baptismalem obtinendam. Secundo possumus argumentari ratione, quia homo peccando se avertit a Deo, ultimo fine; ergo conversio ad Deum, ut ad ultimum finem, qualis fit per amorem et contritionem, est ex natura rei necessaria ad remissionem peccati, et veram justitiam recuperandam; Christus autem instituens baptismum non abstulit media ex natura rei necessaria, et maxime convenientia ad justitiam, sed perfecit et locupletavit illa; ergo tam est necessaria nunc illa contritio, quam semper fuit; ergo sine illa nihil potest prodesse baptismus. Atque hic posset attingi communis illa difficultas de justificatione, an aversio illa, quæ per actuale peccatum vitali et intrinseco quodam modo introducit, tolli possit absque vitali conversione formaliter illi contraria, qualis est sola contritio, vel dilectio Dei super omnia. Sed de hoc alias. Secunda sententia convenit cum præcedenti, contritionem per se loquendo esse necessariam ad effectum baptismi; tamen ex accidenti, propter ignorantiam invincibilem posse minorem dispositionem sufficere, nimirum attritionem, existimatam contritionem. Ita opinatur Navarrus in Summa, c. 4, n. 39, et Corduba, lib. 4 quaest. Theol., quaest. 2, ad 3, satis tamen de sua sententia dubitans. Fundamentum prioris partis est idem, quod præcedentis sententiae; posteriorem autem partem probant, quia alias nunquam baptismus primam gratiam conferret, quod est inconveniens, ut videbimus.

2. *Tertia opinio.* — Tertia sententia omnino contraria est, quamcumque displicentiam peccatorum absolutam cum proposito vitae emendandæ, etiam si naturalis sit, et viribus naturæ concepta, esse sufficientem dispositionem ad effectum hujus sacramenti. Ita opinatur Soto hic, et lib. 2 de Nat. et gratia, c. 15, qui significat, etiam si dolor sit conceptus ex motivo humano, qualis est metus infamiae, aut mortis, sufficere cum hoc sacramento ad justitiam. Fundamentum ejus esse potest, quia, qui sic est dispositus, non ponit obicem sacramento, quia non habet voluntatem affectam alicui peccato; sed sacramentum dat gratiam non ponenti obicem:

ergo. Confirmatur primo, quia hoc extendendum est, et amplificandum in sacramento baptismi, quantum fieri possit, tum quia est regeneratio, in qua omnia delicta brevissime condonantur, quia in eo conspelimur Christo, et veluti nova creatura effimur; tum etiam quia, cum baptismus per se loquendo supponat hominem valde imperfectum, et veluti infantem eum generet in rebus divinis et spiritualibus, continere debuit facillimam viam remittendi delicta, ut significatur etiam ad Hebr. 6 et 10; ergo quæcumque poenitentia, dummodo vere tollat complacentiam peccati, erit sufficiens dispositio ad justitiam. Unde confirmatur secundo, nam minor dispositio sufficit cum sacramento baptismi, quam poenitentiae; ut significat Concilium Trident., sess. 14, c. 2. Ubi propter hanc causam dicit sacramentum poenitentiae vocatum esse a Patribus laboriosum baptismum, quia nimirum major dolor in sacramento poenitentiae requiritur, quam in sacramento baptismi; sed in sacramento poenitentiae sufficit attritio supernaturalis; ergo in baptismo sufficit naturalis.

3. *Quarta opinio.* — Quarta opinio est, per se loquendo requiri, et sufficere quamcumque attritionem veram, etiam si naturalis sit, ut præcedens doctrina dicebat; tamen ex accidenti, et ob ignorantiam invincibilem posse interdum obtineri effectum sacramenti sine tali dispositione vera, sed solum existimata. Ita opinatur Cano, relect. de Poenit., part. 3. Ubi generaliter docet, quacumque ratione homo accedat bona fide ad baptismum, existimans se esse satis dispositum, consequi effectum baptismi, quamvis revera dispositus non sit. Priorem partem probare potest omnibus testimoniis et rationibus, quibus supra probavimus poenitentiam esse ad effectum baptismi necessariam; oportet enim, ut hoc verum sit, saltem per se loquendo, et de minima poenitentia, qualis est illa attritio. Posteriorem autem partem probare potest, quia ille non ponit obicem effectui sacramenti, cum bona fide accedat, et revera non habeat voluntatem adhærentem peccato. Et confirmari potest a simili, quia ad effectum Eucharistiae, v. gr., per se loquendo, necesse est, ut homo accedat in gratia, seu vere contritus; et tamen, ex accidente propter ignorantiam et bonam fidem, potest sufficere existimata contritio, licet vera non sit; ergo pari ratione, licet in sacramento baptismi, per se loquendo, requiratur vera attritio, ob ignorantiam poterit sufficere solum existimata

4. *Quod non requiratur ad effectum baptismi.* — Dico tamen primo, ad effectum hujus sacramenti obtinendum, non esse necessarium, ut homo accedat jam justificatus per veram contritionem. Hæc est sententia D. Thom. in 4, dist. 6, quaest. 1, art. 3, q. 1, quam sequitur tota ejus schola. Eandem tenet Scotus, d. 4, quaest. 5, et dist. 14, q. 4, art. 3; Durand., d. 4, q. 2, ad 2; Palud., q. 4, n. 5; Soto conatur fundare hanc conclusionem in citato loco Concilii Tridentini in sess. 6, cap. 6 et 7, sed ex hoc loco nihil colligi potest, ut inferius dicam, respondendo ad argumenta primæ opinionis. Magis favet huic sententiae idem Concilium, sess. 14, c. 4. Ubi significat, ad comparandam justitiam cum sacramento poenitentiae non esse necessariam contritionem, sed attritionem sufficere; sed in sacramento baptismi facilius venia conceditur, ut idem Concilium tradit; ergo. Atque hoc est sufficiens argumentum; supponit tamen multa, quæ in materia de sacramento poenitentiae tractanda sunt, nunc vero satis est, hanc conditionalem a nemine negari, si contritio non est necessaria in sacramento poenitentiae, multo minus esse necessariam in baptismo; ostendemus autem suo loco, ad effectum sacramenti poenitentiae, tam perfectam dispositionem non requiri. Ratio a priori sumenda est ex efficacia hujus sacramenti, illi a Christo Domino concessa, quæ ex institutione ejusdem sacramenti, et fine ejus colligenda est; nam hoc sacramentum per se institutum est ad regenerandum hominem, juxta illud: *Nisi quis renatus fuerit, etc.*; est ergo per se institutum ad remittendum peccatum spirituali vitæ contrarium; sicut enim naturalis generatio per se fit ex privatione formæ, quæ per generationem inducitur, ita etiam supernaturalis regeneratio per se loquendo; ergo hoc sacramentum, ut suum effectum conferat, per se non supponit peccatum remissum, aut hominem justificatum; quomodo enim ordinaretur ad dandam vitam spiritualem, si prius semper illam necessario supponeret? aut qualis esset institutio, utilitas, aut efficacia remedii contra peccatum, quod prius necessario supponeret ablatum peccatum? ergo similiter non necessario supponit hoc sacramentum veram contritionem, ut suum effectum conferat; alias supponeret peccatum remissum, et vitam gratiæ, quia hæc statim datur per contritionem. Nec refert, si quis dicat, nunc dari hos effectus per contritionem, ut includentem votum baptismi,

et ideo totam efficaciam refundi in baptismum, et hoc satis esse ad convenientem ejus institutionem; nam revera hoc satis non est; quod enim interdum per baptismum in voto detur ille effectus, non est contra efficaciam et institutionem ejus, sed potius commendat illam; tamen, quod semper ac necessario debeat baptismus supponere hunc effectum, prius quam ipse recipiatur, revera est contra efficaciam ejus, et contra finem institutionis illius. Quod alio modo sic explicatur: nam inde sequitur baptismum nunquam dare remissionem peccati, nec primam gratiam ex opere operato; nam illa, quæ datur per contritionem includentem votum baptismi, non est ex opere operato, quia sacramentum non ita operatur, donec collatum sit; sed datur juxta dispositionem operantis, ut latius dicitur in materia de poenitentia; consequens autem est contrarium primario fini hujus sacramenti. Unde tandem confirmatur, quia alias per institutionem hujus sacramenti difficilius facta esset via salutis, quam sine illo esset in lege naturæ, ac veteri, quia tam difficilis contritionis actus nunc requiretur, quam erat necessarius in eo tempore, et præterea addita esset necessitas baptismi; consequens autem est contra perfectionem legis gratiæ, in qua remedia salutis non solum utiliora, sed etiam faciliora esse debuerunt.

5. *Attritio cognita sufficit ad effectum baptismi.* — Dico secundo: ad effectum hujus sacramenti sufficit attritio, etiam si cognita sit, nec necesse est, ut existimetur contritio. De priori parte nulla est difficultas, nam sequitur evidenter ex præcedente assertionem; nam superiori sectione ostendimus, esse necessariam et sufficientem aliquam poenitentiam peccatorum; rursusque diximus, non esse necessariam contritionem; consequens ergo est, ut sufficiat attritio. Posterior ergo pars probanda est, quam docent Soto locis supra citatis, et hic, d. 6, quæst. 1, art. 7, et Cano, dicta relect. de Poenit., part. 5, et Cordub., dicta quæst. 2, qui refert Turrecrematam in cap. Si quotiescumque, de Consecrat., d. 2; et colligitur ex D. Thom., supra, quæst. 68, art. 4, ubi dicit, peccatoribus esse dandum baptismum, etiam si maculam et reatum præteriti peccati habeant, quia est ad hoc specialiter institutus, ut per ipsum peccatorum sordes mundentur, secundum illud ad Ephes. 5: *Mundans eam lavacro aquæ, in verbo vitæ.* Clarius hoc docet infra, quæst. 79, art. 3, ad 2, ubi sic scribit: *Baptismus est*

*spiritualis generatio, quæ est mutatio de non esse spirituali ad esse spirituale, et datur per modum ablutionis; et ideo quantum ad utrumque non inconvenienter accedit ad baptismum, qui habet conscientiam peccati mortalis.* Habere autem conscientiam peccati mortalis, non est solum, hominem cognoscere, se aliquando peccasse; nam in hoc sensu non solum ad baptismum, sed etiam ad Eucharistiam potest homo conscius peccati commissi digne accedere; quod tamen ibi D. Thom. negat, differentiam in hoc constituens inter baptismum et Eucharistiam; igitur habere conscientiam peccati mortalis est existimare seu recognoscere hominem, nondum sibi esse remissum peccatum; qui autem habet hanc conscientiam, necesse est, ut existimet, se non esse contritum; ergo juxta sententiam D. Thomæ, cum hac existimatione et conscientia potest quis digne accedere ad hoc sacramentum, et consequi effectum ejus. Atque eandem differentiam inter hoc sacramentum et Eucharistiam repetit D. Thom., quæst. 80, art. 4, ad 2, ubi ait, Eucharistiam, quia est medicina confortativa, non esse dandam, nisi liberatis a peccato; secus vero esse de baptismo et poenitentia, quæ sunt quasi medicinæ purgativæ, quæ dantur ad tollendam febrem. Ratio autem hujus assertionis est, quia contritio non est simpliciter necessaria ad effectum hujus sacramenti necessitate medii, cum ostensum sit, sine illa posse hominem justificari. Rursus neque est necessaria necessitate præcepti; nam vel hoc præceptum esset positivum; et hujusmodi nullum ostendi potest, neque ex Scriptura, neque ex traditione; aut esset naturale, seu connaturale ipsi sacramento, et necessarium ad dignum usum ejus, eo quod sancta sancte tractanda sint, nam ex hoc principio simile præceptum colligimus; sed hoc in præsentem sacramento non urget; nam ex fine institutionis ejus colligitur, digne et sancte tractari hoc sacramentum, si homo accedat cum sufficiente dispositione ad illius effectum consequendum. Nam unaquæque res sancta sancte tractanda est juxta modum suum; hoc autem sacramentum per se institutum est ad dandam vitam animæ, et primum esse supernaturale illius; ergo per se, ut digne tractetur, solum postulat dispositionem re ipsa necessariam ad talem effectum; satisque digne tractatur, si in ipso momento, in quo perficitur, homo sit sanctus ex vi ipsius sacramenti; ergo contritio nullo modo est per se necessaria ad

effectum hujus sacramenti; ergo neque existimatio contritionis potest esse necessaria, quia hæc existimatio per se nihil confert, cum sit tantum judicium quoddam falsum et erroneum; solum ergo potest requiri, ut homo excusetur ab aliquo peccato, seu transgressione alicujus præcepti. Si ergo nullum est præceptum de habenda contritione in susceptione baptismi, non erit necessaria existimatio contritionis ad effectum ejus; sufficiet ergo attritio, etiamsi cognita sit.

6. *Qualis debeat esse attritio, ut sufficiat ad effectum baptismi.* — *Ratio conclusionis.* — Dico tertio: hæc attritio sufficiens ad effectum baptismi esse debet, supernaturalis, absolutus, et efficax actus voluntatis, includens detestationem peccatorum, et propositum non peccandi de cætero, ex motivo aliquo supernaturali, et per auxilium gratiæ elicitus. Hæc assertio est mihi fere certa, et in ejus confirmationem adduci possunt imprimis omnia, quæ supra ex Scriptura et Patribus adduximus ad probandum, aliquam poenitentiam requiri ad effectum hujus sacramenti; non enim loquuntur de aliqua humana displicentia peccati, sed de illa poenitentia, quæ secundum Deum est; illa enim sola salutem animæ operatur. Possunt deinde afferri omnia, quibus in materia de justificatione et gratia ostenditur, non posse hominem viribus naturæ se præparare ad gratiam et remissionem peccati obtinendam; nam doctrina Patrum et Conciliorum in hac re generalis est, et indistincte datur de justificatione, quæ in sacramento, et extra illud fit; nec licet nobis, generalem doctrinam Conciliorum sine fundamento limitare; alias eadem ratione posset dici ad justitiam obtinendam extra sacramentum requiri supernaturalem cognitionem fidei infusæ, tamen cum sacramento sufficere naturalem cognitionem, vel fidem aliquam humanam; nam Concilia, cum loquuntur de necessitate fidei ad justitiam, solum in communi, et indistincte loquuntur; consequens autem est omnino falsum et erroneum, ut in principio præmisimus. Præterea magis in specie probatur conclusio ex Concil. Trident., sess. 6. Ubi loquens absolute de justificatione, quæ fit per baptismum in voto, vel in re, ad illam requirit supernaturalem dispositionem, quæ ut minimum, includit prædictum actum, ut patet a cap. 3, usque ad 6; apertius sess. 14, cap. 4, distinguens contritionem perfectam ab imperfecta, quam nos attritionem vocamus, utramque dicit esse supernaturalem

detestationem peccatorum, quæ voluntatem peccandi excludat. Ratio autem conclusionis est, quia cum in justificatione remittenda sunt omnia peccata mortalia, necesse est, ea detestari; saltem illa, quæ homo commisit; et consequenter necesse est, ut hoc fiat per actum efficacem et absolutum; alias non esset vera retractatio prioris vitæ, sed solum simplex et imperfectus affectus, cum quo manere potest voluntas suis peccatis efficaciter adhærens; atque eadem ratione necesse est, ut hic motus includat formaliter aut virtute propositum servandi mandata in futurum, quia per justificationem homo recedit a priori vita, ut ad meliorem convertatur. Ac denique quia hic actus est dispositio ad supernaturalem formam, et ad tollendum aversionem a supernaturali fine; ideo necesse est, ut ipsa sit supernaturalis; et consequenter ut sit ex motivo supernaturali, et a Deo principaliter operante per auxilium gratiæ, quatenus est supernaturalis causa, ducens hominem ad supernaturalem finem. Et confirmatur illo exemplo de dispositione requisita ex parte intellectus; nam illa esse debet supernaturalis, etiam in justificatione, quæ fit per sacramentum; ergo etiam dispositio requisita ex parte voluntatis; est enim aut par aut major ratio, quia dispositio intellectus est magis remota; dispositio autem voluntatis propinquior est, et magis perficit conversionem et sanctificationem hominis.

7. *Objectio.* — Dices, hoc argumentum, vel nimium, vel nihil probare; nam ex illo sequitur, tam perfectam dispositionem voluntatis requiri cum baptismo ad obtinendam justitiam, quam extra illum; probatur sequela simili ratione, quia ex parte intellectus requiritur dispositio æque perfecta intra et extra sacramentum, scilicet actus fidei ejusdem rationis et speciei; ergo idem erit in voluntate; vel si hæc consequentia non tenet quoad æqualitatem actus, etiam non tenebit quoad supernaturalitatem. Unde potest reddi nonnulla differentia inter intellectum et voluntatem, quia actus intellectus est prior, et ideo est veluti fundamentum totius ordinis supernaturalis; propter quod dicta est fides, *substantia rerum sperandarum*, ad Hebr. 11. Quapropter necesse est, ut saltem ex parte intellectus dispositio sit supernaturalis, ut ab ea omnes alii motus habeant aliquam supernaturalitatem, saltem extrinsecam, quamvis ipsi in se supernaturales non sint; at verum si ex parte intellectus deesset fides, et reli-

qui motus voluntatis naturales essent, et nihil supernaturalitatis relinqueretur in tota hominis dispositione.

8. *Responsio.* — Respondetur ad objectionem, negando sequelam; in intellectu enim sufficit ad justificationem extra sacramentum alia dispositio supernaturalis, quæ in illo ordine infimum tenet locum; et ideo non potuit convenienter fieri, ut in sacramento minor dispositio sufficeret, quia oporteret illam naturalem esse, nam in ordine supernaturali non potest esse minus perfecta cognitio (saltem secundum legem ordinariam, seu quæ a nobis cognoscatur) quam sit cognitio fidei; at vero in voluntate ad justificationem extra sacramentum necessaria est perfectissima dispositio, qualis est contritio, et amor Dei super omnia ex charitate, infra quam possunt esse aliæ dispositiones minus perfectæ intra ordinem supernaturalem, et ideo non est similis ratio de supernaturalitate dispositionis, et de æqualitate perfectionis ejus; nam illa potuit, ac debuit requiri propter supernaturalitatem formæ inducendæ, et ut homo per utramque potentiam operetur consentaneæ fini et statui supernaturali, ad quem elevatus est, et a quo peccando cecidit; de æqualitate autem perfectionis potuit et debuit aliquid remitti ex parte voluntatis, ut propter passionem Christi exhibitam facilior esset hominibus salutis via. Et per hæc facile etiam rejici potest illa differentia assignata inter intellectum et voluntatem, quæ magis in verbis, quam in re videtur consistere. Nam illa supernaturalitas extrinseca, quam dicuntur participare actus voluntatis ab actu intellectus, revera nulla est, si ipsi actus voluntatis non sunt in se naturales, nam per se non requirunt fidem in intellectu, et quando cum illa junguntur, nihil ab ea accipiunt, ut supernaturalis est.

9. *Ad effectum baptismi requiritur attritio vere ac realiter existens, et non sufficit existimata.* — Dico quarto, ad effectum baptismi necessariam esse hanc attritionem vere ac realiter existentem, et non satis esse existimationem ejus, quantumvis invincibilem et inculpabilem, si revera ipsa attritio non habeatur. Probat, quia hæc attritio non solum requiritur ut præcepta, sed etiam ut medium necessarium ad justitiam, ea scilicet ratione, qua nonnulla poenitentia peccatorum vera et supernaturalis necessaria est ad eorum remissionem; sed in his, quæ sunt necessaria necessitate medii, non sufficit ad salutem

eorum existimatio, si ipsa revera non adhibeatur; quid enim proderit peccatori, quod existimet se vere absolvi a sacerdote, si revera ille non est sacerdos, aut non habet intentionem, vel jurisdictionem? sic ergo nihil proderit existimatio attritionis, si in re non existat, quia non est minus necessaria attritio ad hunc effectum, quam absolutio ad suum, et alia media necessaria ad salutem.

10. Dices, quamvis medium necessarium non adhibeatur in re, posse sufficere votum ejus, sicut in prædicto exemplo de absolutione constat. Respondetur imprimis, hoc votum non sufficere, nisi quatenus includitur in aliqua dispositione ita perfecta, ut sit sufficiens dispositio ad justitiam; non potest autem fingi hujusmodi votum attritionis; deberet enim in contritione includi, quod ridiculum est, tum, quia attritio non est absolute necessaria, sed ob defectum contritionis; tum etiam quia nos loquimur, quando utraque deest. Unde addo attritionem, si re ipsa non exhibeatur, non posse in voto proprie contineri, quia est minima et imperfectissima dispositio, quæ in ordine supernaturali requiri potest, nam dolor, seu attritio naturalis, non est proprie votum, quia non est dispositio ad ordinem supernaturalem spectans. Optimum et accommodatum exemplum est de fide, quæ etiam est medium ad salutem necessarium ex parte intellectus, et ideo quantumvis quis existimet, se habere fidem supernaturalem, si revera illam non habet, poterit quidem a peccato excusari, non tamen justificari, quia non potest obtineri effectus sine medio necessario; fides autem est tale medium; quod si in re non habetur, non potest in solo voto contineri; est enim primus supernaturalis actus, qui non supponit alium, in quo possit votum ejus contineri; loquor enim simpliciter de fide, non in particulari de fide hujus vel illius rei, explicita vel implicita. Est ergo eadem ratio de poenitentia infusa, quia æqualis est utriusque necessitas, ut constat ex Concil. Trident., sess. 6 et 11, et consequenter idem erit de attritione, de qua agimus, deficiente contritione. Unde qui affirmant, sufficere cum sacramento existimatam attritionem sine vera attritione, eadem ratione possunt ac debent dicere, sufficere existimatam fidem, sine naturali fide, et sufficere naturalem dispositionem solis viribus naturæ effectam, existimatam supernaturalem. Imo etiam sufficere existimationem dispositionis sine ulla dispositione præter

voluntatem baptismi, ut si quis ex ignorantia invincibili existimaret, illam esse sufficientem dispositionem ad effectum baptismi, et dignum usum ejus; hæc autem omnia sunt valde absurda, ut ex dictis patet.

11. *Ad fundamenta primæ opinionis.* — *Explicantur loca Concil. Trident.* — Ad fundamenta primæ sententiæ. Ad primum ex Concil. Trident. imprimis responderi potest ipsum in illis capitibus nihil de contritione agere, sed solum de attritione; ita enim Soto, et nonnulli alii recentiores hunc Concilii locum intellexisse videntur, et potest confirmari ex verbis ipsius Concilii, nam in illo cap. 6, initium illius dispositionis post actum fidei ponit in timore divinæ justitiæ, et addit actum spei in Christum; cum autem pervenit ad amorem, nullam mentionem facit dilectionis Dei super omnia, sed solum ait: *Illumque* (scilicet Deum seu Christum) *tanquam omnium justitiæ fontem diligere incipiunt.* Quæ verba significant sermonem esse de amore imperfecto, tum quia videtur in eis sermo esse de amore concupiscentiæ, quia amare Deum, ut justitiæ fontem, non videtur esse amare Deum propter se, sed ut benefactorem nostrum; tum etiam quia incipere diligere non est perfecte diligere. Deinde statim addens Concilium actum doloris, solum dixit: *Ac præterea moventur adversus peccata per odium aliquod et detestationem, hoc est, per eam poenitentiam, quam ante baptismum agere oportet.* Ubi notandum est, verbum illud, *odium aliquod*, nam videtur esse diminuens, unde non videtur exigere summum odium, summamque detestationem, qualis est contritio. Item poenitentia, quam agere oportet ante baptismum, non est contritio, sed attritio tantum. Tandem in omnibus testimoniis, quæ ibi Concilium adducit, nullum est, quod de contritione aut de amore Dei super omnia loquatur, sed solum de poenitentia in genere. Sed mihi non videtur verisimile, Concilium ita loqui de attritione, ut contritionem excludat, vel ut in eam non conveniant omnia, quæ de dispositione ad gratiam tam in illis capitibus, quam in canonibus, qui illis respondent, docet. Itaque licet non affirmem, Concilium loqui de sola contritione, et amore Dei super omnia, non enim sine causa ita verba sua temperavit, sicut notatum est, et ex parte notavit Vega, lib. 6 in Tridentinum, cap. 28, 29 et 30, dico tamen, ita Concilium doctrinam suam accommodasse, ut non solum attritioni, sed potissimum contritioni conve-

niat. Primo, quia Concilium ibi non solum intendit describere justificationem, quæ fit per baptismum re ipsa susceptum, sed absolute et simpliciter docere modum primæ justificationis, qui proportionem servata convenire possit justificationi per baptismum in re, vel in voto, vel etiam illi, quæ fiebat in veteri et naturali lege ante baptismi institutionem; nam illa doctrina de gratia communis est omnibus hominibus, et omnibus ætatibus; non ergo debuit limitari doctrina ad solam justificationem per realem susceptionem baptismi; ergo non debuit loqui de sola attritione, sed potissimum de contritione, præsertim cum cap. 4 dixisset, posse justificationem fieri per baptismum in voto, ad quam non sufficit attritio, sed necessaria est contritio.

12. Secundo, verba Concilii optime ad contritionem accommodantur; nam quod ait, *Diligere incipiunt*, non significat imperfectionem dilectionis, sed novam mutationem, quæ fit in corde peccatoris, quando ex statu peccati transfertur in statum dilectionis Dei; tunc enim incipit diligere quem antea odio habebat, quantumvis perfecto amore eum diligat. Itaque illud verbum incipiendi dicit durationem et inceptionem novam, non essentialem imperfectionem actus, qui de novo fit. Eo vel maxime, quod dilectio Dei absolute dicta maxime significare solet dilectionem super omnia, juxta illud: *Si quis diligit me, sermonem meum servabit, et Pater meus diliget eum*, Joan. 14. Nam cum imperfecta dilectio possit simul esse cum peccato mortali, non meretur nomen dilectionis simpliciter; quod vero Concilium loquatur de dilectione Dei, tanquam fontis omnium justitiæ, non excludit, quin amor ille sit benevolentiae, seu propter seipsum, sed significat amorem illum debere ferri in Deum, ut supernaturalem finem et auctorem; sicut diligere Deum, ut creatorem, dilectione naturali, non est diligere amore concupiscentiæ, sed est diligere summam bonitatem Dei, ut potest esse objectum naturalis amoris. Rursus verba, quibus loquitur Concilium de dolore, magis conveniunt contritioni, quam attritioni, ut patet ex illa causali: *Ac propterea moventur adversus peccata per odium aliquod, et detestationem;* quibus significatur hanc poenitentiam, quam Concilium docet requiri, debere oriri ex amore Dei, et ex motivo illius; hoc autem magis contritioni convenit, quam attritioni, præsertim juxta doctrinam ejusdem Concilii,